Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1823
Quelle:
Copyright:

ſtra eam apud *Tritbemium*, *Geſnerum*, *Caveum*, *Oudinum*, *Fabricium* &c. quaeras. Quo tempore ſcripta ſit, ex hoc loco conjicies: *Sicut olim dicebant quidam: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephę. Sic et nunc per eorum pigram ſolicitudinem et ſimultatem dicitur: Ego ſum Vrbani, Ego autem Clementis* (utriusque electi Papae 1378) *Ego uero futuri concilij generalis, Ego arbitralis concordię. Ego reſignationis utriusque. Ego talis domini. Ego talis regis. Ego talis commodi. Ego tantorum beneficiorum obtentorum a tali* &c. Habuit *Petrus* coram Duce *Andegavenſe* a. 1381. nomine Academiae *Pariſinae* Orationem, qua Concilio generali ad tollendum Ecclesiae ſchiſma opus eſſe demonſtravit, quid ſi eodem anno hanc quoque publicaſſet epiſtolam? Meretur certe in Corpus Operum cooptari, ſi quis olim *Alliacenſi*, ut *Gerſoni*, *Dupinius* obtigerit. *Tertia* demum Epiſtolarum diabolicarum, quae in margine deſcripta dicitur *ex magno Cod. S. Jacobi Leodienſis cui tit. Demoſthe. oratio*, ſic orditur: *Epiſtola tranſmiſſa cuidam Hypocritę per Sathanam Dęmonem Infernalem. Sathanas regnorum Acherontis imperator — Fideliſſimo dilecto noſtro. A. perditionis filio noſtrorum operum cultori epiſcopo talis loci ſalutem et ſuperbiam ſempiternam. Veriſſimis relationibus noſtrorum dęmonum audiuimus, quod tuis malis operibus, tuis nefandiſſimis mendacijs et iniquiſſimis prędicationibus conaris defenſionem* (diviſionem?) *et abbominabile ſciſma noſtrum in eccleſia aduerſarij noſtri Jeſu Chriſti ſagaciter enutrire.* &c. Scripta eſt haec epiſtola intra annos 1406 — 417. *Angelo Corrario* ſub nomine *Gregorii* XII. contra *Petrum de Luna* aliosque ſedem pontificiam tenente. Dicitur enim per decurſum: *Si quis auderet dicere quod dilectiſſimus noſter. G. publicus et manifeſtus periurus pro unione moderne eccleſię obligatus eſſet ad renunciandum papatui — cum non fuerit ſimpliciter electus ſed conditionaliter et modaliter, ut renunciaret* &c. Item: *Faciemus enim, quod ipſe noſter. G. ſummus pontifex unum de ſuis Carpidonalibus ſimul cum illo Anthonio fratriculo Gabadęo Camerario conſtituet te.* Quis vero hic A. ad quem Sathanas? Ex Ordine *Praedicatorum* fuiſſe innuunt ſequentia: *quando eras fratriculus prędicator*, et: *prędica alijs obſeruantiam ieiuniorum illius hoſtis noſtri dominici.* Inde vero ad infulas *Raguſinas* evectum, illud: *locum fętidum et ardentem fecimus pręparari in medio Arrij et Machometi, ubi a damnatiſſimis Nicolao olim epiſcopo Raguginenſi prędeceſſore tuo, nec non Dominico olim judice de Viterbio noſtri chariſſimi ſciſmatis nutritoribus — poſtularis.* Certiora dicturo deeſt *Raguſinorum Epiſcoporum Series;* monet tamen Codex *Vatic.* a *Quetifo* in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 770. adlatus hoc titulo: *Joannis*